

2955

C O D I C E S

2956

tus, VI. Non. *Sigismundus*, XVII. kal. Jul. *Vitus*, IV. Non. *Procopius*, XVI. kal. Oct. *Passio Ludmilae*, IV. kal. *Wenceslaus*, IV. Id. Nov. *Translatio Ludmilae* rubro notantur. Succedit Praeparatio ad Missam. Sequuntur *Missae de Tempore* ab *Adventu* usque ad *Festum Corporis Domini*, quarum, quae de praecipuis Mysteriis sunt, initia venustis picturis ἀναλογίαι decorantur. Ad *Festum Trinitatis* in margine notatur minio: *Alcuinus magister Karoli magni fecit hoc officium*. In *Festo Corp. Dom.* *Judam* crine rubrum loculi produnt. Postea *Incipit ordo qualiter preparet se sacerdos ad missam*, et deinceps *Praefationes* per annum eleganter notis musicis insignitae. *Canon* splendidam prae-

fert imaginem Servatoris tribus clavis cruce suffixi in medio latronum, adstante Suorum numero et hostium, quos inter quidam dextrum pendentis latus confodit. Tum reliquae per annum *Missae*. Fol. 196. p. 2. *Incipiunt festa de sanctis Per circulum anni*, et quidem a *Missae de S. Barbara*, quae, cum aliis majoris notae, aequae in litera initiali picturam exhibet, quod miror in *Missis Tutelarium Bobemiae* neglectum esse. Ad *Missam B. Agnetis* notatur: *Ab hac die usque in octavam beate agne nichil impediatur commemoracionem eius in missa*. Finem imponit *Collectio* inscripta: *Incipiunt Sequentie per circulum anni et Primo In matutina (Natalis Domini) missa*.

Grates nunc omnes reddamus domino deo &c.

Litera G. depictum exhibet habitu Pontificio *Sbynconem* genuflexum adjecto, ut jam supra dictum, Scuto gentis *Hazmburgicae*. *Sequentiae* magnam partem *Notkeriana* sunt, ut extant in *Pezii Thes. Anecd.* T. I. p. 15. Multae vero aliae, ut de SS. *Bobemiae* Indigetibus, incertorum *Autorum*. Mixti etiam *Hymni* notiores.

DCCCXIX.

146 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 30. f. Character luculento scriptus et miniatus est *Liber Missalis* ad quandam Familiam religiosam olim

pertinens, incipitque ab *Elencho XXIII. Missarum*, quas continebat, hac rubrica: *In isto libro continentur subscripta officia*. Aderat tamen etiam hic *Exorcismus*, *Gloria in Excelsis*, *Credo in unum*, *Praefationes* et *Canon*, quae tamen omnia a principio amputata sunt usque ad illa verba: *bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et prestas nobis &c.* Post *Missas* ad calcem habetur *Formula* sic dictae *Abolutionis generalis a peccatis* sic rubro inscripta: *absolutio ordini nostro concessa. ab urbano papa*. *Urbanus* hic in ipsa *Formula sextus* dicitur; sed neque in ejus *Vita* apud *Ciaconium*, nec in *Bullario Romano* legere est,

2957

LITURGICI.

2958

est, cuiam Ordini ejusmodi potestatem ille concesserit, neque adeo ulterius indagare lubet. Codex mutilus in hanc exit miniaturam clausulam: *anno incarnationis post millesimum quaterque centesimum nonagesimo quarto idus nouembris.* Atqui tunc jam Missalia impressa profstabant.

DCCCXX.

947 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. praeviorum 40. subsequorum 9. Operis vero ipsius Pagg. 1212. fol. maj. *Missale* est, nitidissime descriptum ex edit. *Antverpiensi* apud Cpb. *Plantinum* MDLXX. cujus Titulus: *Missale Romanum ex Decreto Sacrosancti Concilij Tridentini restitutum. Pii V. Pont. Max. iussu editum. Cum Privilegijs.* Addit Codex: *Oeniponti*; hic enim *Ferdinandi* Archiducis Com. *Tyrol. Ferdinandi* I. Imp. Filii secundo loco nati auspiciis ingeniosissimum istud Artis pictoriae miraculum adornavit *Georgius Hoefnagel Antverpianus* intra annos 1581 — 88. conductus a Principe munifico 800. Rhenensium stipendio annuo, subque laboris finem donatus 2000. Coronatis aureis, et torque 100. ejusmodi Coronatos adpendente, ut perhibet *J. B. Descamps* in

Vie des Peintres &c. T. I. Paris. 1753. p. 182. 8. Miraculum dixi ingeniosissimum; nam, dum vix fieri potest oculus spectando penicilli artificium, mens jucundissime pascitur mira et felici illa Emblematum, Symbolorum, Inscriptionum, et Versiculorum varietate, quibus Titulos et oras paginarum passim confitas videas, quaeque omnia ipsi Pictori literis Latinis non obiter instituto debentur. *Fol. 3.* sub *Pii V. Decreto* primum occurrit litera *G.* duobus clavis decussatis confixa, quae *Georgium* notat, clavis (germ. *Nagel*) equorum unguis (germ. *Huf*, belg. *Hoef*.) infigi solitis cognomen significantibus. At *fol. 38. p. 2.* paullo explicatius legas: *G. Hoef. F. 83.* Ordinem *Missalis*, non est, quod exponam, cum idem sit, qui in *Editis*, e quibus, ut dixi, descriptum est. *Notae musicae* penitus absunt, quamvis paratae sint iis recipiendis lineae. *Canon* elegantissima Servatoris cruci subfixi Icon totam implens paginam praemissa est. Insignia *Austriaca* multis locis adcommodata sunt. *Proprio Sanctorum* p. 276. subjicitur annus 1588. Opus in *Τετραστυχον* definit, quod, cum Picturae nequeam, Musae saltem *Hoefnageliana* specimen adscribam:

*Incipiens a Te labor omnis desinat in Te,
Inque tuo totus numine prosper eat.
Omnia sint operata tibi, mens, vita, laborque,
Ad superam donec nos vocet hora domum.*